

Jordan

Exercitatio

1763





Pr. 48. num. 37.

14.

56

EXERCITATIO IVRIDICA
 DE
 VERA NATVRA
 IVRIS REPRAESENTATIONIS
 IN
 SVCCESIONE COLLATERALIVM
 AB
 INTESTATO EIVSQVE EFFECTIBVS.

AVCTORE

IMMANVELE GODOFREDO IORDAN.

P. 243

Hf

1024



BEROLINI,

TYPIB GEORGII LVDOVICI WINTERI.

MDCCLXIII.



72 . 1815 1815

1815



VIRO. ILLVSTRI. ATQVE. AMPLISSIMO

DOMINO

IOHANNI. GEORGIO
BVCHHOLTZ

AVGVSTISSIMI. AC. POTENTISSIMI. BORVSSORVM
REGIS. IN. SVPREMO. TRIBVNALI. CONSILIARIO. INTIMO
COLLEGIQVE. QVOD. CVRSVS. PVBLICOS
DIRIGIT. MEMBRO

RELIQVA

IVSTITIAE. AC. LITTERARVM. STATORI

ET

MAECENATI. SEMPITERNO. HONORIS. ET. OBSEQVII
CVLTV. MAXIMOPERE. VENERANDO

EX-



EXERCITATIONEM. HANCCE
IVRIDICAM

DEVOTA. QVA. PAR. EST. ANIMI. SVBMISSIONE

OFFERT. ET. CONSECRAT

TANTI. NOMINIS

Cultor. Perennis. et. Devotissimus

IMMANVEL. GODOFREDVS. IORDAN

EX-



EXERCITATIO IVRIDICA.

*De vera natura iuris representationis in successione
collateralium ab Intestato eiusque effectibus.*



§. I.

Res gravis moliminis, imo temerarium sane Proemi-
um. videtur propositum, defendere velle illud
cuius hucusque contrarii tam multi &
certe omnes Icti propugnatores esse non
dubitarant. Multa mihi hinc desunt adminicula,
nulla mihi opinio veterum sectarum succurrit,
omnes affirmant & ego nego.

Multitudo vero dissentientium, sin posset veri-
tati auferre essentialia, statim herbam darem. Verum
enim vero non plurimis semper votis veritas perfici-
tur, & totum illud axioma una exceptione tolli possit.
Sapius evenit, quod illud, quod quondam affirma-
runt patres, nunc satis superque contrademonstra-
tum

A

tum



tum a posteris reiicitur. Veritas enim in Textu est, opinio in glossis & autoritatibus Doctorum, & a posteriori ad prius concludere ipse IUSTINIANVS in l. I. §. 6. sed neque ex multitudine Sc. C. de veteri jure enucl. falsam Philosophiam vocat.

Multitudo ergo nec adversariorum nec anti-
quitas eorum me terrent, & non obstante reforma-
tionis odio pectora non pavent metu. Maximo cum
ardore aggredior opus & errorem inveteratum, qui
quasi præscriptione quadam munitus esse videtur,
profigare audeo: quæro veritatem & ubi eam in-
venio ibi arripio, & ita ductus Thematis singularis
*de vera natura juris representationis in successione col-
lateralium ab Intestato* explicationem in me suscipio,
& quantum in me eius vera fundamenta perferutare
erit studium, *qualesque exinde effectus* originem du-
cunt, quantum per virium tenuitatem & angustos
Exercitationis cancellos licet, explanaturus sum.

§. II.

Successionem ab Intestato ex iure Novellarum
non iuris obsoleti intelligimus. Iam enim alius
hodie ex jure novo est ordo successionis, quam ille
quondam erat iure veteri. Tempore LL. XII. Tabb.
statim post suos, si nempe nemo suus heres, existat,
qui quocunque modo successionem amplectetur, pro-
ximi agnati vocabantur, & ad illos conclusis ceteris
agnatis hereditas pertinebat. Itaque si sint defuncti
frater & alterius fratris filius aut patruus, frater
potior habebatur. Cognati plane excludebantur,
inter hos enim & agnatos magna olim erat diffe-
rentia

*Illustratio-
nis gratia
ntilia præ-
mittenda.
Et quidem
a. Non Jus
vetus, illud
enim a re-
centiori dif-
fert,*



rentia. Qui per virilis sexus personam cognatione juncti, quasi a patre *cognati* §. 1. de *legit. agnat. succes.* l. 10. *jurisconsult.* §. 2. de *gradibus* l. 7. D. de *legit. agnat. tutel. agnati*, & qui per per foeminini sexus personas cognatione jungentur, l. 10. §. 2. D. de *grad. & affin. cognati*, & ideo quoque in §. 1. I. de *legit. agnat. tutel. priores per patrem posteriores per matrem conjuncti* dicebantur.

Et legibus antiquioribus *xii. tabb.* & legibus mediae jurisprudentiae, quae alias in lege *necessarium* 2. §. *his legibus* 5. I. de *O.* in specie ius civile appellatur, magis in acquirendis hereditatibus virili sexui quam sequiori prospectum, & omnia ita constituta erant, ut plerumque hereditates ad masculos confluerent, quia hoc familiae commodius videbatur.

Favor ille non solum in successione intestata olim se exerebat, sed eousque quoque se extendebat, ut ad testatam quoque applicare veteres non dubitarint. Ita ex lege Voconia masculi praerogativa habebant, dum vetuit feminas ex asse heredes scribi, & quadrantem tantum illis relinquendam esse voluit, de quo *PAVL. l. 5. Sent. tit. 9. pr. & GELLIUS l. 20. Noctitor. Attic. c. 1.* Hoc modo in hereditatibus testatis feminis cancellis positis, non dubitandum, quin Ictis illud ansam praeruerit, illas quoque in successione intestatis gravandi, quia semel certum erat, quod per illas nec familia nec agnatio conservetur.

A 2

Tam

Tam olim in cognatis facultas succedendi erat restricta, ita ut non quoque statim deficientibus agnatis ad successionem venirent. Deficientibus enim illis ex *l. xii. tabb.* primum gentiles vocabantur, diserte enim hoc praescriptum erat illa lege: *si agnatus nec escit, gentiles familiam heres nancitor.* Gentiles ita ut agnati quidem *l. 7. D. de leg. agnat. tut.* per virilis sexus personas cognatione iuncti dicuntur, differunt tamen inter se, de quo pluribus in *Cic. Top. c. 6.*

Pari ratione circa feminini sexus collaterales magna olim in succedendo differentia erat. Patruus enim fratris filiae, illa vero non patruo succedebat. Deficientibus nunc suis, agnatis & gentilibus demum & quidem ex Edicto praetorio cognati ad successionem admittebantur, & solummodo ad septimum usque gradum, *pr. Et §. seq. I. de Succesi. cognat.*

Tota materia vero Successionis & ipsis veterum temporibus & recentioribus avis saepius mutata fuit. Differentiam inter agnatos & gentiles demum sustulerunt praetores, & inter Cognatos & agnatos Iustinianus in iure Novellarum, dum totam illam materiam successionis ab Intestato mirum in modum mutavit, & scrupulosam illam iuris veteris inter suos & emancipatos, agnatos & cognatos, patrem & matrem distinctionem hodie fere in totum per *Nov. cxviii.* sustulit, hoc modo, ut omnibus illis ad successionem idem jus competat, ita ut inter suos & emancipatos, praeter necessitatem aditionis ultimis relictis, & inter patrem & matrem plane nulla superfit

perfit differentia, & quoad cognatos & agnatos non nisi gradus prærogativa fines ponant.

§. III.

Tertiam hodie per *Nov. cxviii. c. 3.* succedentium classem constituunt collaterales, qui descendibus & ascendentibus non amplius existentibus ad hereditatem veniunt. Aliquando ascendentes cum collateralibus concurrunt & succedunt, quod extra germanos eorumque liberos locum non habet. Juxta dispositionem *Nov. cxviii.* liberi germanorum cum ascendentibus concurrentes plane ab hereditate repellebantur, verum & hoc correxit *Nov. cxxvii. pr. §. c. 1.* ubi liberi germanorum, si germanus superfit, admittuntur. Quid vero dicendum, si soli germanorum liberi cum ascendentibus concurrant, DD. discrepant, & hac de re in præsentī non disquirendum. Jam satis est, mortuis descendibus & ascendentibus collaterales superesse, qui hereditatem capiant.

Sed præcipue jus novum supponitur.

Hi varie se distinguunt, & quidem vel *ratione vinculi* vel *ratione proximitatis*. *Priori casu* sunt vel *bilaterales* s. *germani* vel *unilaterales*, & hi demum a patre *consanguinei* a matre *uterini* dicuntur. *Posteriore casu* quoad proximitatem vel *proximiores* vel *remotiores* a DD. appellantur, quorum priores fratres eorumque liberi, posteriores vero sequentes sunt.

§. IV.

Hos inter Collaterales nunc primum locum tenent fratres & sorores germani, qui ob duplici-
tatem vinculi *pr. d. Nov.* unilaterales, & ob ante

b. In hoc casu stativæ controversiæ limitandi.



cedentiam ipsorum descendentes excludunt. Non existente fratre ejus liberi hereditatem adipiscuntur, & quidem ita, ut si cum fratribus vel sororibus, fratrum vel sororum prædefunctorum liberi concurrant, priores in capita, posteriores in stirpes, & uti vulgo dici solet, iure repræsentationis, succedunt, & quidem ita, ut tantam sibi acquirant portionem, quantam eorum parens, si in vivis mansisset, accepturus fuisset. Hoc in casu præcipue latet status hujus exercitationis. Toties enim fratrum liberi hocce modo ad successionem veniunt, quoties eorum parente præmortuo alia persona gradu proximior illos antecedit, a qua ab hereditate excluderentur, nisi beneficio quodam, quasi ex gradu anteriori essent, æstimarentur.

Limitatis casibus quod fratrum filii patruo jure privilegiato quod repræsentationis dici solet, succedant, omnes non ignorant, quid vero sit vera huius iuris natura, pro lubitu quisque ubi & quidem non obstante certitudine legislatoris voluntatis determinat. Inspiciamus ergo maiori cum industria apertioribusve oculis rem ipsam & inquiramus, quid verus hujus tam famosi *iuris repræsentationis* sit & esse possit conceptus eiusque notionis fecunditas.

§. V.

c. Conceptus allotrii removendi; d, vires legislatoris inspicienda, & inde nervus verborum legis cognoscendus.

Ipsa vox *repræsentatio* & *ius repræsentationis* in tota materia de Successione non legitur, sed ex lubitu Doctorum orta, qui hosce terminos technicos sibi fabricare commodo putarunt.

Ad evitandas ergo aliquales inconvenientias, si ex ipsis fontibus iuris illas voces invenire vellemus

mus



mus, sciendum, ut illud quod in legibus de repræsentatione legitur, huc non trahendum. Ita enim in *l. 1 §. 2. D. de dote prælegata. repræsentare solvere* significat & in *§. 14. l. de legat. repræsentare* idem est ac *solvere ante tempus*. Quod nostram repræsentationem attinet, Imperator superfluum credidit, adhuc de illo privilegio liberis fratrum concessio specialem dare denominationem, dum mentem suam in *Nov. cxviii. c. 3.* ubi de illo agitur, jam satis declaraverat determinatis hujus privilegii essentialibus, & ideo quid sub hoc jure intelligendum ex antecedentibus & consequentibus quisque indubie trahere possit.

Non satis ergo mirandum, quare textus *d. Nov. a DD.* tam incongrue explicari potuit, & quare sensus verborum tantis scrupulosis explicationibus deformandus, qui tam clare ex dictis legislatoris apparet. Ferrea etsi ætas erat, qua ille vivebat, & quem intra temporis tractum non modo nulla cœpit incrementa sed fere in exilium missa & a pristino suo nitore ita degenerata erat latina lingua, ut non tantum incultam sed tetricam & ex senio prorsus deformem faciem induisse videatur, IUSTINIANO tamen in conficiendis legibus nec deerat eruditio nec lingua. Hancce *Nov. cxviii. de modis Succedendi* idiomate græco, ita ut plarasque, scriptam esse constat. Hæc lingua Iustiniani familiaris erat, quod ipse faterur, ideoque illam in *Nov. xxviii. c. 2.* vulgarem vocat. Textus & hodie Iustinianus authenticus exstat, & ita comparitione quoque vulgaris versio illa latina, si obscurior dispositione fun-



fundamentali dici possit, semper explicanda. Verum nec illo adminiculo opus, dum loca hancee materiam concernentia, & ita ut in vulgatis editionibus exhibita adsunt, rem satis declarant. Facultates IVSTINIANI superiores quæ attinent, ipsum litteratum fuisse ex illis præcipue gestis tum in iudicio, præfidiis, consiliis, tum eius intricatissimis cum hereticis gestis bellis, qua de re pluribus apud ARNOLDVM in *der Kirchen- und Reherhistorie* p. 288. & in *testimoniis PROCOPII de bello Gothico* l. 3. c. 32. legimus, patet. Ita ipse legislator. Huic quid deesse adhuc poterat Consiliario viro clarissimo TRIBONIANO in colligendis legibus assistente addebatur cuius characterem ipse IVSTINIANVS in *Tit. C. de vet. jur. emel.* & ibi præcipue in l. 2. §. 9. & 17. manifestat, magnibusque extollit laudibus, & quem & ipse eius acerrimus morum censor MATTHÆVS BLASTERER in *Præfat. syntagm. alphab.* ubi de adhibita Iustiniani in colligendis Novellis diligentia loquitur, peritissimum & omni in disciplina summe exercitatum fuisse virum, fatetur. Ita iudicium præparans ICTis non decet tanquam sacerdotes Delphici verba Iustiniani uti oracula pro lubitu explicare, & ita verba istius legis non aliter interpretanda, quam sana Hermenevtica illud requirit.

§. VI.

Miror itaque fatum juris representationis, quod a DD. semper tanquam cera dilaceratum ita ut iamiam plures inde evenerunt sectæ, quæ & plane omnes diversas habuerunt opiniones. A similitudine

g. Dissentium varia opiniones ponderanda, que erroneæ sunt vel circa applicationem juris.



dine quadam coucludunt quidam, ideoque errant, alii nimis significatui vocabuli gramattico inhærent, & omni occasione repræsentationem inveniunt, alii lusu mero logomachico sibi delectant & hisce modis tam immanem in mundum proiiciunt faunum ut scire difficilis, an sit homo an hircus? Alii denique praterea in applicatione illius iuris, quibus competere dicunt, errant. Posterorum numero illi sunt, qui in successione descendendum ius repræsentationis locum habere tradunt. Quod vero in hoc ordine exulet & minime applicari queat, cum descendentes iure proprio ad hereditatem parentum veniant, & nullo adminiculo alicuius tertii nec fictione, nec repræsentatione indigeant. Hac de veritate speciatim in dissertatione nostra *de Successione nepotum ex iure proprio* sub præsidio celeberrimi Patriæ ICTI BOEHMERI anno MDCCCLXII. in Viadrina habita, jam fusius egimus, ubi dissentientium opinio iam satis superque ad incitas redacta. Hinc in præsentis illo supersedere possumus.

§. VII.

Errore ergo unius sectæ profligato, adhuc cæterorum pertinacia superest, quæ iam mentem occupat. Priorum opiniones, qui ipsum ius repræsentationis determinare student, eo tendunt, ut vel *Successionem in eam partem hereditatis qualem antecessor obtenturus fuisset, vel* S *quamlibet aliam occupationem alicuius obiecti, quod alter iam vel possedit, vel possidere potuisset, repræsentationem nominant.*

Vel circa ipsum ius, vel utroque modo.

B Vul-





Vulgarior vero omnium opinio illa est, representationem esse, si quis vicem defuncti ita sustinet ut ex eius iure & persona ad Successionem veniat. Hoc essentialibus beneficii congruere, & ita cum Imperatore recte beneficium iuris appellare credunt, quia ille, qui alias stricto iure exclusus, nunc extra ordinem iure defuncti tertii ad Successionem admittatur. Hancce quoque conclusionem claudicare, quisque & certe templi Philosophia ostiarii sentiunt, dum extra cuiusdam individui tertii patris scilicet obiectum, adhuc aliud datur, cuius representatione fratrum liberi beneficium obtinere & parui heredes fieri possunt.

Non videndum ergo, qua ratione ICti moti, qui ad talem successionem liberorum fratris representationem ipsius personæ prædefuncti parentis necessario volvere, ex quo principio omnino voluntati legislatoris tam contraria principata fluere, necesse est. Minime illis subscribere ne ulla quidem ratione commotum me video, & iam alius mihi videtur sensus d. Nov. cxviii.

§. VIII.

Ac se-
pius incer-
tar.

Quanta vero sit ipsorum dissentientium incertitudo, quid representationis vera requisita dicant, ex illo præcipue elucet, quod ius successionis descenditium & collateralium mox unius qualitatis esse, mox sibi tantummodo assimilare putent. Ita celeberrimus ICtus COCCEII non solum patriæ sed æternum quoque Germaniæ decus in *Iure Controverso* affirmat, inter collaterales ad exemplum iuris repræ-



præsentationis inter descendentes idem iure Civili introductum esse. Verum illa opinio tanto magis erronea dici potest, cum iura utrorumque inde lædantur, quia uni ordini aliquid detrahitur, alii aliquid superfluum additur. Descendentibus enim detrahitur essentia iuris plane proprii, posterioribus vero superfluum conceditur, dum horum ius succedendi restrictius priorum. (§. 9. & 21.)

§. IX.

Opinione mea ius repræsentationis in specie, de quo in præsentis sermo, ex vera mente IUSTINIANI, nihil aliud esse potest, quam *privilegium liberis præmortui fratris vel sororis in casu heredum proximiori gradu concurrentium competens, fictione gradus fraterni tantam portionem ex hereditate patrum, quantum pater, si vixisset, perciperet, percipere; & brevius: privilegium fictione gradus fraterni illam hereditatem acquirere, quam pater defuncti frater vivus, acquisivisset.*

Conceptus verus iuris repræsentationis. In illo serio gradus Crinomenon est. Rationes sunt vel:

Fictio & repræsentatio iuxta conceptum generatorem synonyma sunt, & in posito vero consistunt.

Totum Crinomenon causæ præterea inde latet, ut monstratur, *quid repræsentetur, & quod illud gradus non ipsa persona patris sit ex rationibus multifariis tam generalioribus tam specialioribus sequitur.*

§. X.

Inter Priores antesignanos ducit illa, *quod in successione collateralium ad solius gradus proximitatem respiciatur & fundamento sit, quare oppositum successione descendendum est, in quo ordine iuxta*

α. Generatorem primus.





dispositionem *Nov. cxviii. c. 1.* Imperator gradum querere volebat. *Gradus* vero inter & *personam in gradu* quam maxime distinguendum esse, nemo tam ignorans est, qui illud negare audeat, quia alias *locus & res in loco* eadem esse debeant.

Dum itaque in successione huius ordinis ex gradu proximitatis solummodo hereditates determinantur, non ad certum individuum ista facultas restringi potest. Illud ius enim quod fratri primo competit fratri succedere & secundo & tertio competit, quia illud non ad certas personas verum ad certum modo gradum restringebatur. In illo gradu plures enim esse possunt fratres, qui inde ius succedendi habent, sed plures persona variorum graduum regulariter iura fraterni gradus habere nequeunt. Unus vel alter gradum exhaurire nequit, gradus vero omnes in gradu positi continentur. Hinc gradus in abstracto latior persona in gradu, & hinc non Synonima. Liberi ergo ad fingendam conditionem ad successionem illis necessariam gradum paternum non eius ipsam personam representare necesse est. Si vero cum representatione gradus representatio personarum in gradu positarum coniuncta esset, & patrens & patruus defunctus & patruus cohæredes representare necesse sit, quod *absonum*.

Illud ius quod fratri competit fratri succedere, cum illo quod liberis fratris prædefuncti competit unius qualitatis est. Priori illud per se competit, quia vere in proximiori gradu existit, posterioribus, quia in eodem gradu voluntate legislatoris esse putantur.

tantur. Prior regulariter succedit, posteriores ex beneficio. Fratri per *Nov. cxviii.* competit fratri succedere, & idem per *d. Nov.* quoque liberis fratrum indultum. Ius igitur per se illis competens unius sanguinis est, & diversitas quæ ratione effectus contingit, in mero accidenti consistit nullaque necessitate restricta. Posteriorum ergo ius a priorum independens est ratione facultatis & essentia, etsi non ratione effectus. Plures enim uno tempore æquales facultates habere possunt, effectus vero discrepant. Decessus fratris est causa sine qua non, ut eius liberi patruo succedere possint ex privilegio, & ideo necesse est, ut horum ius aliquid effici possit.

Restrictiones æqualium iurium in diversis personis, diversæ esse possunt. Sic effectus iuris succedendi fratris dependet a non existentia descendenti defuncti, liberorum a non existentia parentis. Prior nulla fictione indiget, verum posteriores.

Ius succedendi patruo liberis fratris prædefuncti competens ergo ratione ipsius parentis independens, imo non alienum est, quia non personæ parentis sed fraterni tantummodo gradus representatione indigent, & secundum dissentientium opinionem ad ius alienum requiritur, ut quis ex alterius persona ad successionem accedat.

§. XI.

Altera ratio ex sine Imperatoris quærenda. Ille *Secunda.* erat, quod illud obstaculum removeretur, quare liberi fratris non ad successionem patruum venire



poterant. Disposuit ideo, ut liberi præmortui fratris tantam ex hereditate patrum percipient portionem, quantam eorum parens, si superstes foret, acciperet, quasi essent cum patre defuncto in uno eodemque gradu. Liberi enim hi non excludebantur ab hereditate, quia non ipsum individuum eius parentis, sed quia ex gradu remotiori erant. (§. 9.) Legislatori vero placuit liberos defuncti fratris æque ac eorum patruos ad hereditatem defuncti patrum vocare, & quidem ita, ut fingeretur, quasi illud ostaculum gradus remotioris non adfit, sed ut illi coniunctim ita adingredientes in parentis gradum tantam portionem acciperent, quantam eorum parens, si vixisset, consequuturus fuisset. Illa potestas, quæ legislatori competit aliquem iuribus ornare, non ad unicum tantummodo personarum genus restringi potest, sed quid uni iam permissum & alteri permittit potest. Minime ita concludendum, ut ius posteriori concessum illi ex persona prioris, qui iam tale ius habuit, competat. Ratio præterea, quæ Imperatorem movit, ita disponere, non parva fuit, sed ne a scopo aberremus, illa supersedere possumus, quia indubia dispositione existente & pro ratione stat sola voluntas, adeo ut secundum principium §. *sec.* & *quod I. de iur. nat. & gent.* princeps quoque sine causa quid possit constituere. Iniustitia consequentiæ DD. si ad obtinendam hanc portionem representationem parentis personæ requirunt magis se exserit inde, quia illud nullibi præscriptum, & sine necessitate & expressa legis dis-
 sposi-

spofitione obligationes multiplicare non licet, adeo ut in cafu dubio omnis interpretatio in meliorem partem facienda iuris fit.

§. XII.

Nec minoris momenti eft illud fundamentum, *Tertiã.*
quod *ex conceptu beneficii* fluit.

Successio liberorum fratris, quod in mero privilegio confiftat, nemo in dubium vocare potest, quia illud tum ex denominatione legislatoris tum ex re ipfa fluit. Non folum enim Imperator illud ius privilegium effe dicit, fed illud quoque ex determinatis istius essentialibus patet, cum aliis personis ex illo ordine venientibus illud ius competere perhibet. Quid ergo in privilegiis iuris hic quoque applicandum. Ergo femper ita interpretatio facienda, ut effectum habere poffit, & fi non in præiudicium tertii vergant, latiffime id fieri debere *l. fin. D. de constit. princip.* iubet. Verum fi interpretatio privilegii liberis fratris conceffi iuxta differentium opinionem acciperetur, magis onus quam privilegium dici poffit, quia liberorum fortuna tunc femper a qualitate bonorum parentalium dependeret, quia illi parentes repræfentare eorumque onera subire cogentur. Illud intentioni legislatoris omnino adverfatur, quia obftaculum gradus remove & non nova onera imponere ei mens fuit. Cum ergo in ordine collateralium non nifi gradus prærogativa defiderentur §. 9. eo quoque privilegium explicandum, quia privilegio illud tantummodo fublatur creditur, quod ratio erat, quo minus alias aliquid fieri poterat.

l. 39.



l. 39. de R. I. Excogitatis oneribus ergo privilegiis cancellos ponere iniustum est.

§. XIII.

β. Vel specialiores. Harum prima. Præmissis rationibus generalioribus *specialiores* sequuntur, qui ex ipsis imperatoris verbis oriuntur.

Tota dispositio legislatoris ex versiculis *d. Nov. cxviii. sin autem - - - huiusmodi - - -* & quandoquidem - - - eruenda, & si quamlibet periodum speciatim perscrutamur, nullibi opinionum dissentientium stabile fundamentum quæri potest. Inquiramus ideo singulos.

Initio fere *cap. 3.* Imperator omne quod voluit, posito statu distincte declaravit, ita aiens: *Sin autem defuncto fratres fuerint & alterius fratris & sororis præmortuorum filii, vocabuntur ad hereditatem isti cum de patre & matre thiiis masculis & feminis, & quancunque fuerint, tantam ex hereditate percipient portionem, quantam eorum parens futurus esset accipere, si superstes esset.* His in verbis tota voluntas legislatoris consistit & ratione portionis & quantitatis plane sine connexo onere disposuit, nempe: ut liberi fratris posito casu tantam portionem habere debeant, quantam eorum parens, si vixisset, habiturus fuisset. Quis vero est, qui ex tali simplici dispositione consequentiam trahere possit, liberis illis incumbere, ipsam personam patris representare, & ita ex illius iure succedere. Ille modus & naturæ iuris & voluntati legislatoris adversatur. Voluntas legislatoris non ita restricta erat, ut huncce modum eligere necesse sit, qui adeo incongruus est, cum in hoc ordine
proxi-

proximitas in gradu non in certa persona consistat. Non praesumendum ideo, Imperatorem talem eligere voluisse, tanto minus, cum eo ipso liberis praesudicium et onus inferatur (§. 12. 11.). Iam satis est, quod legislator plane et luculenter disposuit, liberos remoto parente illam portionem acquirere debere, quam parens alias habuisset. Nec minus ita illos felices parente voluit, qui vero infeliciores evaderent, si necessitas representationis parentis cum successione illa coniuncta esset, cuiusmodi vero onus parenti non erat. Beneficio ergo sine restrictione constituto a DD. restrictionem addere non decet, cum interpretatio a voluntate legislatoris, voluntas ille vero non ab interpretatione prudentum dependeat.

§. XIV.

Nec minus clarus est sensus verborum verfi- *Secunda.*
culi sequentis, ubi legislator ad priorem se referens ita dicit: - - *Hujusmodi vero privilegium in hoc ordine cognitionis solis praebemus fratrum masculorum et feminarum filiis et filiabus, ut in suorum parentum iura succedant.*

Haec sunt verba, quae omnes seduxerunt ad defendendam thesin, quod liberi absolute personam parentis representare debeant. Verum nec hisce ex verbis fini nostri adversaria consequentia fabricari potest, si alias eorum explicatio cum grano salis suscipitur. Haec verba ratione iuris et modi illo utendi nil novi continent, quod nondum in anterioribus determinatum. Argumentum totius huius
C peri-



periodi in eo consistit, quod competentia iuris determinetur, quia Imperator illud tanquam privilegium ad certas tantummodo personas restringere voluit, quid vero ratione ceterorum essentialium ipsius iuris liberorum fratrum disponere voluit, iam in verficulo *sin autem* - - edicere, plane iubens, *illos positos casibus ita patruo succedere, ut nempe coniunctim et ita in stirpes tantam portionem acciperent, quantum eorum parens, si superstes foret, habuisset.* Præfens verficulus ergo ita explicandus ut cum priori quadret, tanto magis, cum ex particula (Θιςτος) huiusmodi pateat totam, periodum mere relativam ideoque ex priori supplendam esse.

Verba *in iura parentum succedere* non eius efficacitæ sunt, ut liberi ipsum parentum repræsentare debeant.

Verba græca - - *ἵνα εἰς τὰ τῶν ἰδίων γένων δικαία ὑπεισέλθωσι* - - latiore sensum habent, et *quamlibet supervenientiam conditionum* significant, ita ut quoque quilibet effectus iurium pro causa efficiente scil. ipso iure intelligentur. Ita ex vera mente Imperatoris *in iura parentum succedere* hoc loco nihil aliud significare potest, quam remoto parenti nunc in portionem illam iure fictionis gradus anterioris succedere, in quam parens, si vixisset, successurus fuisset, vel distinctius, ex iure iam competenti in ea portione, quam parens si vixisset, obtinuisset, exercitium obtinere. Condicio ita illa a parente superveniens solummodo ratione obiecti non facultatis succedendi repræsentativa dici potest. Potest enim quis circa aliquod ob-



obiectum exercitium obtinere, quod quondam tertius habuit vel habere potuisset, minime vero necessarium requisitum est, ut at illam conditionem perveniendam illumque finem obtinendum summam conditionum tertii et omnium ei adhaerentium iurium subeat. De successoribus singularibus alias quoque dici solet, quod antecessoris locum vel iura occupent, sed inde non trahendum, illos iure representationis personarum ipsorum antecessorum eorumque adhaerentium facultatum succedere.

§. XV.

Quae denique in versiculo antepenultima c. 3. *Tertis.* d. N. CXVIII. adhuc adduntur, veritatem adhuc clariorem reddunt, ubi haec legimus: - - *Quandoquidem igitur fratris et sororis filii tale privilegium dedimus, ut in propriorum parentum succedentes locum, soli in tertio constituto gradu, cum iis, qui in secundo gradu sunt, ad hereditatem vocentur.* - - -

Quis praedictorum magis glebae adscriptus esse potest, liberos representatione personarum parentum succedere affirmans? Elucet abunde hisce ex verbis legislatorem solummodo ad gradum, quem non in congrue locum vocat respexisse, ita ut non dubitandum, quod in propriorum parentum succedere locum idem quod in iura parentum succedere significet, ideoque *δίκαια* et *τόνον* h. l. synonyma esse. Non videndum, quare legislator tam scrupulosis verbis usus fuisset, si ipsius personae parentis representationem liberis iniungere illi mens foret. Certe ideo



ideo non dubirandum, illum de *loco et gradu* non de
individuo in gradu cogitasse.

§. XVI.

Quarta.

Repräsentatio liberorum fratrum, quod solummodo ratione gradus, et ita quod fictione, quasi ex gradu proximiori parentis scilicet forent, fiat, ex legislatoris ipsa rite facta authentica explicatione, quam in *Novella cxxvii.* hac de materia legimus, adhuc magis patet et luce meridiana clarius redditur, ubi ita: - - *Meminimus scripsisse legem, per quam iussimus, ut si quis moriatur relinquens fratris et alterius fratris filios præmortui, ad similitudinem fratrum et præmortui fratris filii vocentur, paternum adingredientes gradum et illius ferentes portionem.* En Epitomen argumenti *c. 3. Nov. 118.* Quid clarius esse potest hæc recitatione authentica? Superfluum ergo sane est, illud explicare velle, quod ipse legislator explicat. Ipsa enim hæc *Nov. cxxvii.* veram et totam mentem *Nov. cxviii.* in terminis declarat, edicens, quid in iura et locum parentum successioneis verus sit significatus, quid et quale sit ius liberis fratrum competens, et quomodo illo utentur. Quis ideo est eorum, quibus rerum causas evolvere curæ cordique est, qui non videat, Imperatorem solummodo fictionem s. repräsentationem *gradus*, non ipsius individui parentis requirere? Et ipsi miopi hoc in oculos cadit. Filii gradum adingredientes paternum, minime vero ipsam personam parentis ad hereditatem patrum pervenire Iustinianus expresse dicit,
et

et in priori consistebat obstaculum, quare simul cum patruis succedere non poterant (§. 9.), iam satis ideo, si illud fictione sublitum, ceterisque fictionibus præterea personarum non opus.

§. XVII.

Nunc de Effectibus. Hi varii sunt, omnibusque illis, qui ex dissentientium principiis fluunt, contradicunt. Illi uti nos quidem ex obiecto representato effectus determinant, quia vero illud diversum, inde quoque diversa consequuntur. Illi personam fratris fingunt, nos eius gradum. Quid ergo gradu qua tali fraterno cohæret, illud nostris effectibus fines ponit, ponimus enim in gradu principium.

Effectus ergo ex representatione Gradus determinantur.

Fictio a veritate non nisi literis differt (§. 8.). Fictio in casu ficto idem operatur, quod veritas in casu vero. *PRVCK. rubr. quæ sint regal. c. 4. n. 10. EVERH. in loco a vi fict.* Fictum ideo non plus debet operari quam verum, de quo COLERVS p. 2. c. 3. n. 66. Hinc cetera iura, quæ extra illa, quæ gradui qua tali non adhærent, existunt, liberis fratrum præiudicare nequeunt.

§. XVIII.

Primum inde nostri principii principiatum illud est, quod liberi fratris a patris hereditate abstinere vel eam repudiare, et patruo succedere possint. Liberis quod beneficium paternam semel ipso iure acquisitam hereditatem derelinquendi habeant, et quod illis quoque certis tantummodo casibus hereditatis paternæ repudiatio competat, notorii iuris est. Prius in suis, posterius in emancipatis contingere potest. Vtris-

Hinc primum.



que quidem quoad successionem per *c. 1. N. cxviii.* idem ius competit, et nulla inter illas differentia est, verum quoad modum illam acquirendi inter se differunt, ita ut sui ipso iure etiam ignorantes, emancipati vero sola aditione heredes fieri possint. Verum hæc distinctio in presenti non immediata utilitatis est, et iam satis, quod omnes hereditatem paternam relinquere possint, sive sit mediante abstentione sive repudiatione.

Liberorum derelictio hereditatis paternæ vero ut successionem in bona patrum non impediatur, præsupponendum, bona parentis et patrum defuncti per aditionem nondum esse confusa, sed ut parens vel iam ante patrum decessus, vel si post eum mortuus, illud hereditate iacente, et ita intra tempus deliberandi contigisse.

Limitatis ergo his casibus nec unitas personæ inter parentem et defunctum patrum inducta, nec bona eorum confusa, hinc liberis plane diversas patet hereditates et parentis et defuncti patrum, quorum nec prior nec posterior ratione liberorum fratris necessario coherent, ita ut invicem inter se dependeant. Patrum enim succedere patrisque hereditatem relinquere et vice versa patri succedere patrumque hereditatem repudiare possunt. Prius ex consequentibus patet, posterius per se clarum, quia illo casu liberi patri quæ descendentes ex iure proprio succedunt, et nulla representatione nec eius personæ nec gradus indigent, et ita eo ipso quo eius heredes fiunt, ratione successionis in bona patrum nova declaratio



ratio requiritur. Si liberi ex iuribus personæ parentis adhærentibus, uti dissentientium opinio est, ad hereditatem patrui venire necesse sit, acquisitio paternæ hereditatis quoque necessario supponenda esset, quia nemo in alterius commoda succedere potest, nisi et in eius incommoda succedat, et hoc modo cum defuncto unum representet.

Quum vero liberi casibus præsuppositis ratione defuncti parentis independenti iure ad hereditatem veniant, et illis solummodo transitio in gradum anteriorem incumbat (§. 9.), successione in bona parentis ad obtinendum illum finem non indigent, quia extra parentem in gradu fraterno requisitum gradus anterioris fingi potest, et unica persona parentis gradum exhaurire nequit (§. 9.).

Transitus ita in iura et locum parentum, uti in *Nov. cxviii.* dicitur ad modum succedendi et exercitium iuris, quod inter fratres eorumque liberos quodammodo differt, respectum habet et iuribus qua talibus liberis ad successionem patrui competentibus nihil præiudicii inferre potest. Differunt enim quam maxime inter se ius succedendi et modus illo uti. Prius in facultate legitima acquirendi hereditatem delatam consistit, posterius ad occupationem ipsam s. medium ista facultate legitima utendi respicit. Prius utrisque commune, posterius differt, quia fratres sola aditione fratris heredes, liberi vero et aditione et fictione gradus patrui demum heredes fiunt, et si effectum denique inspicimus ipsum, plane nulla differentia adest. Nec maioris effectus est acquisitio
obiecti



obiecti hereditatis, et dependentia iurium non deduci potest inde, quia parens si vixisset illam portionem ex hereditate fratris percepisset, quam liberi nunc sibi acquirunt (§. 7.). Illa dependentia usum iuris non ipsum ius tangit, et ita in illa successione patruī fratres obstant ipsius liberis, non *iuri* sed *iuris* solummodo *exercitio* obstant. Hi ergo ratione patris independenti iure ad hereditatem patruī veniunt, et sic effectus repræsentationis gradus paterni acquisitio scil. patruī hereditatis cum derelictione hereditatis patris simul consistere potest.

§. XIX.

Secundus. Alter effectus est: *quod liberi fratris patruo succedere possint, etsi pater illius successioni renun-
ciaverit.*

Renunciatio hereditatis quæ pactum de non acquirenda hereditate dici solet, olim non valebat, quia futura hereditas nulla hereditas, ita et eius renunciatio. Verum hodie in cuiuscunque placito positum, et omnino effectum habet. Iis enim quæ nostra sunt seu nostræ potestatis, sint spei vel veræ existentia, renunciare possumus, BALD. *in lege: si quis in conscrib. C. de pactis*, verum non alienis absolute et indistincte. Renunciatio enim varia esse potest, vel ad ipsam personam renunciantis restricta, vel quoque ad heredes extensa. Prius semper effectum habere potest, verum non semper posterius, et in dubio quoque non præsumendum, sed in omni renunciatione ius tertii potius reservatum intelligitur. *c. si postquam 13. de præbend. c. quamvis 8. de rescript. l. 140. D. de adm.*
vel



vel. tutor. Posito vero casu, quod frater pro se et heredibus renunciaverit hereditati fraterno, tunc illud liberis non aliter, quam si parentis heredes existunt, nocere potest, quia tunc demum eius factum præstare et ratum habere tenentur *l. 149. de R. I.* Est enim effectus successionis, ut defunctus et hæres pro una persona habeantur, quæ unitas tantæ efficaciam est, ut iniusta quoque iusta fiant, quia nec heres defuncti factum impugnare potest, si bona ad eum pertinentia alienaverit, *l. 4. C. de R. V.*

Verum liberi fratris non indigent hereditate paterna tanquam medio perveniendi ad bona patruum (§. 18.) dum eius hereditatem relinquere et patruum heredes fieri possunt. Hinc nulla inter fratrem eiusque liberos necessaria unitas, et hinc casus existit, quo liberi patruo succedere possunt non obstante renunciatione parentis.


§. XX.

Positis principiis porro sequitur: *Liberi fratris patruum heredes fieri posse, et parentis debita solvere seu eius onera subire non tenentur.* *Tertius.*

Ex cuius persona non succedo, ex eius persona etiam onera non subeo. Nemo enim ex alterius factis obligatur, nisi vinculum hereditatis intercedat, et ita unitatem personæ producat, vel expressa lege quis factum alienum, quasi proprium foret, præstare teneatur. *conf. l. ult. C. unde liberi.* Posterius nulla lege dispositum et prius quoque exulat, si liberi fratris paternam hereditatem relinquunt. Cum enim certum sit, quod liberi isti ab hereditate

D

paterna



paterna abstinere et ad patrum hereditatem pervenire possint, (§. 18.) ideo nec minus certum, omnem unitatem hic inter parentem et liberos abesse. Posito ergo illo casu liberi fratris omnes contra insultus debitorum patris securi, patrum hereditatem accipere possunt. Collatio denique in ordine collateralium per se cessat, sive successione unitas inducta sive non.

§. XXI.

Reliqui.

Omnes ideo fere effectus, qui nepotibus avo iure proprio succedentibus competunt, quoque ad liberos fratrum in successione patrum applicari possunt. Quod verum denique discrimen est, in eo consistit, quod nepotes plane iure proprio, liberi fratrum vero saltem gradum repræsentare, hinc restrictiori modo et certo respectu alieno nomine ad successionem pervenire debeant. Liberis fratrum etsi non incumbat parentes repræsentare, illorum tamen gradum fingere necesse est, (§. 9.) et hinc *quæ gradui quæ tali in abstracto inhaerent, suscipere tenentur.* Si ergo casus dabilis fingi possit, quo gradui onera vel obligationes incumbant, ita ut omnes in hac ordine existentes illa subire teneantur, tunc ~~liberis~~ et liberis repræsentantibus illum gradum illa adiudicare indubia iuris consequentia erit.

§. XXII.

Eadem circa feuda observanda.

Vbi ergo repræsentatio illa locum habet, ibi et eius effectus admittendi. Hinc et in feudis. Illud enim beneficium quod in feudis Germaniæ obtineat, notorii iuris est. Confirmavit hoc CAROLVS V. in *Recess. Imper. Wormat. 1521. d. 28. Noobr., dum versiculo: und diweil in gemeinen Rechten - - - disponit, quod si fratres succedant et fratrum filii concurrant, hi iure repræsentationis in stirpes succedere debeant, quod iterum confirmat R. I. de anno 1529. de 23. April.*

Omnia ergo fundamenta et effectus quæ in successione collateralium quoad allodiam hereditatem adduci possunt,

possunt, ad successionem feudalem quoque regulariter applicari debent. 2 F. 11. §. *his vero* - - - Hoc vero ita limitandum, ut agnationis et cognationis differentia in feudo non sublata credatur. Agnati enim soli in feudo succedunt, cognatis plane exclusis per expressam dispositionem legis 2. F. 11. pr. STRVV. *Syntagm. iur. feud. c. 9. th. 9. n. 6.* Dantur vero et impropria feuda, et ita quoque non semper cognati et feminæ in feudis excluduntur.

§. XXIII.

Vbi denique ius repræsentationis plane exulat, ibi et omnes eius effectus desinunt. Iure saxonico in successione collateralis proximior gradu remotiore excludit, et ideo in illo ordine ius repræsentationis non obtinere, per *arg. 1 Land-Recht 17. p. 3. Conf. 18. §. ult. je näher dem Sig, je näher dem Erbe*, constat. Multa enim circa collateralium hereditates in Saxonia singularia sunt, de quibus pluribus egerunt BERLICH. p. 3. *Concl. 24. et CARPZOV. P. 3. conf. 18.* Hoc vero in allodio tantummodo iuris, in feudo enim iure saxonico non communi minus quam Electorali iuris repræsentationis locus est, non obstante clausula secundum proximitatem gradus in litteris investituræ inserta, illa enim latior explicanda, et quidem et de vera et de repræsentativa intelligenda. *Constit. Elect. xxix. p. 3.* ubi nonnulli quoque conferre student *auth. xxxii. Iur. feud. Sax.* sed vid. HARTMAN. PISTOR. in *quæst. iur. libr. 2. qu. xxxiii. n. 4.* Ceterum hac de re ex professo egerunt COLER *dec. 48. n. 4.* CARPZOV. *Cap. 29. def. 1. 2. 3. 5. et 16. et BERLICH. Part. 3. Concl. 40.*

*Verum in
alloiis Sa-
xoniciis ces-
sant.*

§. XXIV.

Statuta Brandenburgica quæ attinent, iuri civili hoc in passu successione scilicet collateralium non abrogant, repræsentationis enim ibi locus est, sed certis tantummodo casibus illi derogant. Ita *Constit. Ioachimica de A. 1527. fra-*

*In terris
Branden-
burgicis per
Constit. Io-
achimic. re-
præsentatio-
nis locus est.*



trum liberi soli non in capita sed in stirpes succedere iubet, usus et observantia vero *Constitutionis CAROLI V. de A. 1529.* anteriorem vicit, ita ut illius nullus superfit in hacce controversia usus, sed successio in capita recepta sit. Hoc ipsum et legislator in antecessum ratihabuit, quod ex ipsius constitutionis tenore rubr. von denen Seiten-Linien §. 7. per verba: würde aber durch Römisch-Kayserlichen Majestäten - - - satis constat.


§. XXV.

*Sed in feudis regali-
bus imperii
exulat.*

Cimmeriis tenebris denique obscurior modus devolutionis successione in feudis regalibus, ad collaterales iuris publici Doctoribus visum, et quo ordine illa ad collaterales devolvetur, magna gesserunt bella, quales controversias præcipue refert *ITTERVS cap. 15. de Controv. circa feuda Imperii.*

Representationem vero hic exulare nemo negare potest, et illud in præsentia iam satis. Feuda regalia olim dividi prohibebantur et ad primogenitum pertinebant. *2. E. 55. vers. præterea* - - In memoria enim dignitatum olim feuda apud unum et familiæ præsertim seniore[m] facta tecta conservabantur, id quod parentes ideo prudenter considerant, quia nihil tam magnum, quod divisione parvum non fiat.

Simile demum de Electoribus Imperii constitutum. In secularibus enim sine omni divisione solus primogenitus succedit, quod Imperiali auctoritate et unanimo consensu Electorum in *A. B. tit. 7. §. 2. et 3. tit. 27.* legis modo est. Hunc ordinem deinde sensim sequuti sunt principes Imperii et successionem linealem introduxerunt, ita ut in Germaniæ regalibus feudis nunc solam successionem pactitiam obtinere, dici potest, quia et successio ex *A. B.* determinata pacto constituta omnino est. *Excluso* ergo indistincte a proximiore remotiori, ius representationis locum habere nequit.



1024

et,
A.
ce
oc
us
7.
A
o-
es
o-
o-
v.
t-
i-
y.
la
r-
a-
n
n.
s
u
t.
ii
e
o-
o
i-

ULB Halle 3
005 366 534


nt







Pri. 48 num. 37.

14.

56

EXERCITATIO IVRIDICA
DE
VERA NATVRA
IVRIS REPRAESENTATIONIS
IN
SVCCESIONE COLLATERALIVM
AB
INTESTATO EIVSQUE EFFECTIBVS.

P. 279

Hf

1024

AVCTORE

IMMANVELE GODOFREDO IORDAN.



BEROLINI,

TYPIS GEORGH LVDOVICI WINTERI.

MDCCLXIII.

